THEATRVM VERITATIS, ET IVSTITIAE

SIVE

DECISIVI DISCVRSVS

Ad veritatem editi in forenſibus controuerſijs Canonicis & Ciuilibus, in quibus in Vrbe Aduocatus pro vna partium ſcripſit, vel conſultus reſpondit.

IO. BAPTISTA DE LVCA VENVSINVS

Per materias ſeù titulos diſtincti iuxtà proximam indicem poſt præfationem.

LIBER II.

DE REGALIBVS

Hoc eſt

Officijs venalibus, locis Montium, alijſque iuribus cum Principe ſeù Republica, Vectigalibus, & gabellis, ſalinis, & mineralibus, monetis, vijs publicis, ſiſco, et alijs de quibus in cap. vnico quæ ſint Regalia.

A. Clouvet ſcul

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

ROMAE,

Typis Hæredum Corbelletti. M. DCLXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

REGI CATHOLICO
CAROLO II.

IOANNES BAPTISTA DE LVCA
FELICITATEM.

REGALIVM opus, ſub tui nominis tutela publicam lucem accipere, dignum eſt; Regalia namque Regem adeò excelſum decent; Ac etiam quia, quod in me eſt, totum eſt tuum; Tua enim apud antiquitatem conſpicua VENVSINA CIVITAS, mihi ad hæc ſcribendum, ſpiritum, ac vitam dedit; Tuæque MAGNÆ NEAPOLITANÆ CIVITATIS celeberrima gymnaſia, et Tribunalia, legum, & canonum ſcientia me imbuerunt; Et quamuis quod ibi deglutiui, in hoc MAXIMO ROMANÆ CVRIÆ TOTIVS ORBIS THEATRO digerere occaſio dederit, adhuc tamen tuus perſtiti, dum ampliſſimæ tuæ Monarchiæ, vnicum Aduocatum in officium hic agendo, Tibi etiam mancipatus vixi & viuo. Dignetur igitur Maieſtas Tua benignè recipere hos minorum REGALIVM labores, tanquam arrhas illorum, quos me facturum ſpero circa ea REGALIA maiora, quæ cum adulta ætate, tua virtus, & fortuna augebunt, ſuperando tuorum parentum, à quibus deſcendis, CAROLI MAGNI, et CAROLI V. Imperium & gloriam. Vale, ac diù Catholicę rei Deus te incolumen reddat.

DE REGALIBVS AD MATERIAM OFFICIORVM

DISCVRSVS PRIMVS.

ROMANA HAEREDITATIS SEV OFFICII PRO MARCO ANTONIO IVSTINIANO. CVM FLORAVANTE MARTINELLO.

Caſus deciſus per Rotam pro Martinello.

Officium emptum ſub nomine vnius cum pecunia alterius, cum reſeruatione decreti ad iſtius fauorem, de cuius dominio eſſe dicatur, et quandò cenſeatur donatum titulari; Et de pluribus ſpeciebus ſeù formulis reſeruationis decreti, ac effectibus exindè reſultantibus.

Et aliqua de re ſuccedente nec nè loco pecuniæ hæreditariæ, cum qua quæſita ſit, et quandò huiuſmodi ſubrogatio ſit operatiua contrà tertium poſſeſſorem titulo ſingulari.

S V M M A R I V M.

1 *FActi ſeries cum deciſione caſus.*

2 *De articulis in diſputatione deductis.*

3 *Diſtinguuntur plures ſpecies ſeù formulæ reſeruationis decreti ſuper facultate diſponendi de officio in alterius perſona empto, et de varijs effectibus indè reſultantibus.*

4 *Facultas ex decreto reſeruata diſponendi in vita, àn exerceri poſſit in morte per vltimam voluntatem.*

5 *Habens facultatem diſponendi, quandò cenſeatur illa vſus, & àn per actum compatibilem illa deducatur.*

6 *Quandò prohibitio alienationis non dicatur continere onus ſed potiùs fauorem prohibiti.*

7 *Hæres putatiuus bonæ fidei ad quid teneatur ergà verum hæredem.*

8 *Quandò res probetur quæſita de pecunia hæreditaria.*

9 *In particularibus àn & quandò res quæſita ex pecunia hæreditaria fiat talis, et competat hæredi vendicatio contrà tertium.*

10 *Pecunia data ſimpliciter, àn cenſeatur mutuata, vel potiùs donata.*

11 *Ingratitudo dicitur vitium aptum etiam ad peccatum mortale.*

12 *Ob ingratitudinem donatarij reuocatur donatio, atque donatio remuneratoria dicitur onerosa.*

13 *Capienda eſt interpretatio pro excluſione ingratitudinis.*

D I S C. I.

CVm iuxtà facti seriē magis diſtinctè enarratam *ſub tit. de teſtamentis in*
1 *Romana Hæreditatis de Iuſtinianis*, Cardinali Iuſtiniano ſucceſſiſſet Iulianus germanus frater, legitimus etiam ab inteſtato hæres, qui ſe teſtamentarium donec vixit credidit, in vim Schedulæ ad formam Indulti Cardinalitij confe-